Hanseaticarum insignimus nomine, meritò cluet, & ubiq; gentium notissima est. Atqui nemo primas origines, proximaq; originibus, adeoq; primos sexaginta Reipublicæ annos, nec non insignes rerum mutationes, quæ per viciniam nostram in Wagria, Holsatia & Mechlenburgica terra, tribus & amplius seculis acciderunt, nec priùs, nec diligentiùs quàm HELMOLDUS, quiq; eum continuavit ARNOLDUS, in literas retulit, ut qui inter ipsa urbis cunabula, & quidem in Ecclesiastica dignitate vixerunt, & magnam partem eorum, quæ literis consignarunt, usurparunt oculis. Hos igitur duos præcipuos elegi, quos è MSS. codicib9, qui mihi commodè oblati erant, recenserem, & Notis brevibus illustratos in lucem emitterem.

Ad quos autem isti majori jure, quàm ad Vos, PATRES PATRIÆ, pertineant? quos operæ potiùs meæ Patronos ac judices adoptem? Vestra Respublica est, cujus ortum, & primam quasi infantiam hi Scriptores tradidere: sub vestro quoq; auspicio Notæ in illos hæ meæ natæ sunt. Vobis hi veteres historici debentur, qui, quantò historiarum exempla, quàm nuda cæterarum artium præcepta, jucundiùs docent, moventq; animos, tantò plus huic scientiæ generi præ alijs tribuitis. Vos, ex antiquis gestarum rerum monumentis prudentia civili consummatissimè comparata, quicquid ab alijs Rerumpublicarum Palinuris vel bene consultum, vel constitutum utiliter, vel feliciter expeditum invenitur, ad singulare patriæ decus & emolumentum dextrè imitando refertis. Vestris, præfiscinè dixerim, Lubeca in hunc diem rectissimè consultis, & regendi artib9, ad invidiam usq; floruit, & floret. Maxima laus, non nego, etiam Majorum est, qui illam tam præclarè fundatam, & salutaribus munitam legibus, Vobis reliquere: sed haut scio, an ulla exsuperatura vestram sit, qui difficillimis his temporibus, inter medias bellorum flammas, salvam ac sospitem sistitis, cùm nihil